



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 41. Colloquium Londinense inter duos Benedictinos, & totidem Calvinistas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

Sæc. XVII.
A. C. 1687.

§. XLI.

*Colloquium Londinense inter duos Be-
nedictinos, & totidem Cal-
vinistas.*

*Horn. con-
tin. p. 311.
Mem. de la
Rev. d' Angl.
t. I. p. 224.
Carol. mem.
Sæc. XVII.
lib. 9.*

Tanto propagandæ Religionis ortho-
doxæ studio flagrabat Jacobus II,
Angliæ Rex, ut non modo suum tole-
rantia edictum a Guilielmo Arausio-
nensi Principe genero suo, ejusque
Uxore ratum haberi peteret, sed etiam
Sunderlandio Comite ad erroris eju-
rationem permoto ipsos quoque Cla-
rendonii & Rocestriæ Comites, affines
suos aliosque Nobiles ad amplectendam
religionem Catholicam perducere ad-
laboraret: Ambo tamen dudum Regis
desiderio obluſtabantur, tandem vero
Rocestriæ Comes consensit, ut publicæ
disputationi Catholicos inter & Prote-
stantes habendæ interesse velit: Con-
grediuntur igitur præstituta die duo
Patres Benedictini, necnon Janius &
Patritius ambo Calvinistæ, qui præ-
sente Rege, plurimisque Nobilibus
Whitehalix de variis, præcipue de fi-
dei sacramento & Ecclesiæ Romanæ
auctoritate per sex ferme horas dispu-
tabant, haud felicioris successu, quam
qui pluribus aliis ejusmodi colloquiis
respondit, ubi utraque pars triumphum
ceci-

cecinit, & neutra a sua sententia di- Sæc. XVII.
 fecit: Altera etiam die Jesuitæ in are- A. C. 1687
 nam descensuri, convocabant Proceres,
 & Nobiles tam Calvinianos, quam Ca-
 tholicos, Rocestriensis tamen absoluto
 colloquio declarabat, se de suæ Reli-
 gionis veritate nunquam dubitasse, nec
 etiamnum eam mutandi animum ha-
 bere; Comes quoque Clarendonius o-
 lim Hiberniæ Pro-Rex inde revocatus,
 suæ sectæ immote adhæsit, cui sub-
 rogatus est Tyrconnelus Comes reli-
 gione Catholicus, quo urgente Tem-
 plum, ut vocant, *Christi Catholicis*
rursus vindicatum est.

§. XLII.

Caroli Gualterii Cardinalis obitus.

Luxit hoc anno Roma illustre Purpu- Eggs Purp.
 rati Collegii decus, Carolum Gual- Doct. 1. 6.
 terium patria Urbevetanum, qui pri- Old. in add.
 mis virtutum, ac literarum rudimen- ad Craton.
 tis in Romano Seminario politis ad
 graviores Juris utriusque disciplinas se
 contulit, ac laurea donatus ab Inno-
 centio X. patrocinandis pauperum caus-
 sis admotus est: postea ex utriusque
 Signaturæ referendario ab eodem Papa
 Cardinalis, & Firmanus Archipræsul
 creatus, Synodum Diæcesanam ha-
 buit, in qua conditis legibus saluber-